



Franz Volkmar Fritzsche


De Lenaeis Atheniensium Festo

**Commentatio Secunda : Ad Sacra Pentecostes A. MDCCCXXXVII Pie Celebranda
Commilitones Humanissimos Invitat**


Rostochii: Literis Adlerianis, [1837]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015769462>

Band (Druck) Freier  Zugang  OCR-Volltext



V. p. — 395 (13.)
V. p. — 395 (13.)





AD

SACRA PENTECOSTES

A. MDCCCXXXVII

27

PIE CELEBRANDA

COMMILITONES HUMANISSIMOS

INVITAT

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE,

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

IN EST

DE LENAËIS ATHENIENSIIUM FESTO

COMMENTATIO SECUNDA.

R O S T O C H I I

L I T E R I S A D L E R I A N I S.

SECRETARY PENITENT COSTERS

DECEMBER 11

COMMISSIONERS HUMANITARIAN

THE SECRETARY GENERAL

ACADEMIC H. T. HICKEY

DR. ERNEST A. HENNINGSEN

COMMISSIONER GENERAL


NOTICE

LETTERS TO THE EDITOR

Venio nunc ad alteram sententiam, qua quidem Lenaea Anthesteriorum festo proprie adjudicantur. Cujus rationis primum auctorem Seldenum fuisse, Ruhnkenium vero acerrimum ejus defensorem et quasi vindicem plerique existimant. Ceterum nescio, an multo ante Seldenum jam Theodorus Gaza, vir alioquin egregius, eandem rem excogitaverit. Hic enim in aureo libello de mensibus Atticis non dubitavit Anthesterionem, mensem, ut hodie constat, octavum, pro sexto mense venditare atque Posideoni de antiqua sede depulso Anthesterionem audacter substituere, quam opinionem Junio, Gyraldo et aliis quibusdam probavit. Verum hic Gazae error jam ab J. Scaligero Emendat. Temporum p. 50. 51. praeclare refutatus est. Omnino autem Lenaea fuisse Anthesteria tam incredibile est, ut id nemini unquam in opinionem venire debuerit. Nam primum quis tandem sibi persuadebit, torcularium vindemiaeque festum, hoc est Lenaea, agi mense Februario potuisse? Sin autem antiquos sibi testes unice audiendos esse dictitant, non vident, quantopere ab his ipsis destituti sint, ac prorsus undique teneantur. Adest enim Hippolochus, qui Lenaea a Chytris, Anthesteriorum die manifesto distinguat, apud Athenaeum IV, 150, d. *ὃν δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων εὐδαιμονίζει, τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, θύμα καὶ εὐζῶμα καὶ τοὺς καλοὺς ἐσθίων στρεπτοὺς, Ἀθήναια καὶ Χύτρον θεωρῶν.* Adsunt, qui Chytros atque Lenaea doctius etiam et magis enucleate discernant, Aelianus De Nat. Animal. IV, 45. *Καὶ τί δεῖ καταλέγειν τε καὶ ἐπαντλεῖν τὸν τοιοῦτον ὄχλον; κекήρυκται γὰρ Διονύσια καὶ Ἀθήναια καὶ Χύτροι καὶ Γεφυρισμοί.* atque etiam Diogenes Laertius III, 56. *οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ἀθηναίοις, [Παναθηναίοις] Χύτροις* —, quem locum post paullo iniqua suspitione liberabo. Prodeat etiam citatusque respondeat, quo auctore Choes, secundus Anthesteriorum dies, a Lenaeis segregetur, Alciphro Epist. II, 5. *ἐγὼ δὲ καὶ τὰς Δηρικλείους καὶ τὰ καρχήσια καὶ τὰς χρυσίδας καὶ πάντα τὰ ἐν ταῖς*



αὐλαῖς ἐπίφθονα παρὰ τούτοις ἀγαθὰ φνόμενα, τῶν κατ' ἔτος Χοῶν
 καὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις Ἀθηναίων καὶ τῆς χθιζῆς ὁμολογίας καὶ τῶν
 τοῦ Λυκείου γυμνασίων καὶ τῆς ἱερᾶς Ἀκαδημίας οὐκ ἀλλάττομαι —,
 ex quo loco etiam illud emergit, theatra attica Lenaeis, non item Choi-
 bus et Anthesteriis patuisse. Neque vero alii desunt auctores, qui a Le-
 naeis Anthesteria sejungant. Nam Photius p. 565, 11. Τὰ ἐκ τῶν ἀμα-
 ξῶν: inquit, ἐπὶ τῶν ἀπαρακαλύπτως σκωπτόντων. Ἀθήνησι γὰρ ἐν
 τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἀμαξῶν τοὺς ἀπαντῶν-
 τας ἔσκωπόν τε καὶ ἐλοιδόρουν· τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις ὕστερον
 ἐποίουν. Eadem repetunt Suidas in Τὰ ἐκ τῶν ἀμαξῶν σκώμματα:
 et, qui ἀπερικαλύπτως legit, Apostolius sub Τὰ ἐκ τῶν ἀμαξῶν. Athe-
 nis igitur Choum festo comessantes curribus vecti obvios quosque deri-
 debant conviciisque proscindebant; idem vero postea faciebant Lenaeis.
 Nihil profecto his verbis evidentius est, quando idem mos alio tempore
 festis aliis tribuitur, primum quidem Choum festo et Anthesteriis, postea
 autem rursus alii festo, Lenaeis. Neque vero nos de re ipsa hic dispu-
 tamus, sed de tempore et natura Lenaeorum. Fuerunt etiam, qui hanc
 consuetudinem pompis Bacchicis in universum adsignarent, Harpocratio
 in Πομπείας καὶ Πομπεύειν, atque ex eo Photius p. 442, 15. et Sui-
 das in iisdem vocibus. Contra fallitur scholiastes ad Eqq. 545 (544)
 ἑορτῇ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις τὰ Ἀθήναια. ἔστι δὲ εἰς Διόνυσον. ἐν ἣ
 μέχρι νῦν ἀγωνίζονται ποιηταὶ συγγράφοντες τινα ᾄσματα τοῦ γε-
 λασθῆναι χάριν. ὅπερ ὁ Δημοσθένης εἶπεν ἐξ ἀμάξης (De Corona
 122, 7., ubi mox p. 124, 2. sequitur πομπεύειν). ἐπὶ ἀμαξῶν γὰρ οἱ
 ᾄδοντες καθήμενοι λέγουσι καὶ ᾄδουσι τὰ ποιήματα. Scholium est
 perantiquum, quod descripsit Suidas s. Ἐξ ἀμάξης. At non poëtae ne-
 que histriones in curribus sedebant canebantque tempore ludorum, id
 quod finxit Graeculus Thespidis plastro fortasse deceptus, sed comes-
 santes pompamque ducentes de curru alios irridebant. Contra hos igitur
 testes, qui tam liquide rem negarunt, quid tandem dici potest? Inanes
 sunt enim Ruhnkenii conjecturae, rati praeter tres partes Anthesterio-
 rum Pithoegia, Choas, Chytros etiam quartum ejusdem festi diem ex-



stitisse, Lenaea, vel etiam Pithoegia alio nomine Lenaea adpellari potuisse. At vero illi omnes, quos supra memoravi, scriptores minime varios festi ejusdem dies discernunt, sed Chytros Choasque sic Lenaeis opponunt, ut festo penitus diverso. Quid, quod omnes Anthesteriorum dies adcuratissime novimus, *Πιθοίγια*, *Χόας*, *Χύτρος*, in quibus quidem Lenaeorum nec vola est, nec vestigium, ut inter Anthesteria ne locum quidem esse Lenaeis relictum adpareat. Harpocratio enim in *Χόας* et Schol. ad Acharn. 925 (960) ita scribunt, *φησὶ δὲ Ἀπολλόδορος, Ἀνθεστήρια μὲν καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην, κατὰ μέρος δὲ, Πιθοίγαν, Χόας, Χύτρος*. Docuit itaque Apollodorus, totum festum Anthesteria vocari, idque tres partes, Pithoegiam, Choas, Chytros complecti. Et cum Apollodoro incredibiliter reliqui auctores consentiunt, ut Plutarchus Sympos. III, 7., ubi *Πιθοίγια* Anthesterionis die XI^{to} ponitur, Hesychius v. *Ἀσθενιάτη* et l. l. Harpocratio, qui Choas d. XII^{to} mensis ejusdem tribuunt, Philochorus apud Harpocrat. v. *Χύτροι* et apud Schol. Acharn. 1040 (1075), qui Chytros in d. XIII^{um} Anthesterionis conferunt. Nam ambigua Didymi opinio in scholiis ad Acharn. l. l. et manifestus error scholiastae ad Ach. 925 (960) Choas in Pyanepsionem vel in Anthesterionis X^{um} diem transferentis nihil sane nobis incommodabunt. Ubi sunt igitur, qui Lenaea nostra Anthesteriis inculcant temere atque inferciunt? Etiamne cum Apollodoro totque aliis scriptoribus audebunt contendere, qui quum summa fide omnes dies Anthesteriorum protulerint, prorsus tamen hic quidem Lenaea omittunt, id est nihil eis esse cum Anthesteriis demonstrant? Atque hujus rei nunc aliud proferam argumentum, quod hic leviter tantummodo perstringere licebit. Nam Anthesteria temporum vitio Athenis eviluisse, neque ita diu mansisse celebria, olim suspicatus est Palmerius Exercitatt. p. 618. Cui in summa re plane adsentior, tametsi argumentandi ratio, qua usus est, mihi quidem non probatur. Unico enim nititur Thucydidis loco II, 15. — *καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος (πρὸς νότον) τῆς πόλεως μᾶλλον ἴδρυται, τὸ τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου καὶ τὸ Πύθειον καὶ τὸ τῆς Γῆς καὶ τὸ ἐν Αἰμναῖς Διονύσου, ᾧ*



τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστη-
ριῶνι, ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν.
Jam Thucydides, iudice Palmerio, ostendit, Anthesteria sensim ab Athe-
niensibus contemta esse, contra ab Jonibus moris antiqui retinentibus di-
ligenter celebrata; quae si Athenis celebria ut olim mansissent, nihil
opus fuisse exemplo Jonum. Equidem potius censeo, Jones hac occa-
sione ut Atheniensium colonos memorari, quoniam Attici colonos suos in
Jonia e festis potissimum communibus agnoscebant. Quam rem licet
mihi eo loco illustrare, qui unus omnium Thucydideo simillimus est,
Herodoti I, 147. εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηναίων γεγόνασι,
καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὄρτην. ἄγουσι δὲ πάντες, πλὴν Ἐφεσίων καὶ
Κολοφωνίων. οὗτοι γὰρ μούνοι Ἴώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια· καὶ
οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ δεικνύουσιν. Quin etiam ipsum Thucydidis insti-
tutum hanc explicationem postulat. Demonstrandum erat, antiquam ur-
bem acropoli ejusque vicinia constitisse: id quod rectissime fit templis ac
fanis ejusmodi allatis, quae et ad acropolin sita essent, et eadem sum-
mae antiquitatis opinionem haberent. Anthesteria igitur, quae nomine
ipso τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια vetustatem testantur suam, jam antiquis-
simo tempore celebrata esse, clarissime Jonum exemplo docetur, qui jam
olim Anthesteria in Joniam Athenis contulerunt. ³⁷⁾ Hoc enim modo

³⁷⁾ Athenaeus XII, 533, d. Πόσσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστο-
κλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θύ-
σαι Ἀθηναίᾳ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθηναία ὀνομάσαι, καὶ Διονύσιον Χοο-
πότη θυσίασαντα καὶ τὴν Χοῶν ἑορτὴν αὐτόδι καταδειξαι. Jam diu
nos quidem de fide istius narratiunculae dubitamus; constat enim, quam saepe
historici vel in patriis rebus atque domesticis mentiti sint. Principio quum
Thucydides doceat, Jones Atheniensium colonos Choum festum in Joniam ex-
portasse: haud dubie multo probabilius est, Magnetes, qui ipsi secundum Stra-
bonem XIV, p. 636. §. 11. e Thessalia et Creta immigrarunt, a vicinis suis
Atheniensium colonis Choas accepisse, quam a Themistocle demum, qui ali-
quamdiu exsul Magnesia vixit, ea accepisse. Quodsi Choas illi jam ante The-
mistoclis adventum celebrarunt, ne Panathenaea quidem, festum in Jonia mira-
bile, a Themistocle didicisse et adsumsisse videbuntur. Imo Magnetes fortasse




Thucydidis locum interpretari debemus, quem Lenaeorum interpretes, alius alio infelicius tractarunt. Sed omnino Thucydides declarat, Anthesteriorum splendorem sensim paullatimque coeptum esse imminui. Neque enim triduum ille tribuit Anthesteriis, sed ea in unicum diem Choum, τὴν Δωδεκάτην coarctat. Accedit vero etiam Demosthenis sive alius auctoritas atque consensio, qui quum Anthesteriorum sacra vehementer extollere cupiat, tamen illud templum quotannis semel tantum Choibus ipsis dicit aperiri, in Neaeram p. 76, 11. καὶ διὰ ταῦτα ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου καὶ ἀγιωτάτῳ ἐν Αἴμναις ἔστησαν — ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ ἀνδραστηριῶνος μηνός. Porro gravissima est, quae eodem spectat, Hesychii glossa Δωδεκάτη: ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν Χόας ἔλεγον. Omnino autem plurimi auctores Choas memorant, Chytros multo pauciores, denique paucissimi Pithoegia (Cf. Meursium Graec. Fer. in Ἀνδραστήρια, Gronov. Thesaur. VII, p. 719 sqq.). Deinde et scriptores, qui Atheniensium Dionysia tractant, et grammatici graeci tantum non omnes Anthesteria praetereunt, id quod facit in lege sua etiam Euegorus. Huc accedit, quod nonnulla, quae olim Anthesteriorum propria fuerunt, traducta sunt ad Lenaea sive ruris Dionysia, veluti τὰ ἐκ τῶν ἀμαζῶν σκώμματα, de quibus supra dictum est. Denique nisi Chytrorum die certamina quaedam intercidissent, non ea sane a Lycurgo restitui possent. Quae quum ita sint, primum Anthesteriis ademptus videtur dies Pithoegiae, postea autem detracto etiam die Chytrorum, quem Aristophanis tempore adhuc celebrabant (Acharn. 1340. Ran. 218.), Anthesteria sensim imminuta ad unicum diem, Choas reciderunt. Quin etiam Anthesteria, quae paullatim eviluisse certum est, postea fortasse, Choibus etiam omissis, plane ad nihilum reciderunt. Tantum vero abest, ut idem cadat in Lenaea, ut haec quidem constanter in maximo honore habita sint et diutissime Athenis floruerint. Quid, quod Anthes-

cum aliis populis Πανιώνια agitarunt, festum Panathenacis simile, de quo praeter alios disseruit Herodotus I, 148.




steriis dramata poetarum ne data quidem esse accepimus. Hanc enim sententiam quum olim primus omnium Palmerius dixisset, Exercitatt. p. 618., multi eam deinceps, ut Hermannus Boeckhique susceperunt. Nos vero, ne ulla dubitatio relinquatur, ipsa Graecorum loca, quae in hunc censum veniunt, cum cura excutiemus. Proficisci autem oportet a verbis Plutarchi in Vit. Lycurg. p. 841, f. (p. 577 ed. Wyttenb., p. 61. ed. Westermann.) *Εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμους, τὸν περὶ τῶν κωμῶδων, ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικῆσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἔξόν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα.* Neque conjecturis locum integrum vexare debent H. Valesius ad Harpocrat. p. 290 ed. Gronov., ubi pro καταλέγεσθαι scribit *καθιέναι*, et Reiskius, qui perinepte legi vult, τὸν μὲν τὸν παρὰ τῶν κωμῶδων, neque ob idoneam causam de justa explicatione dubitatum est. Sine dubio enim hoc dicit Plutarchus: *Pertulit vero (Lycurgus) etiam leges, unam de comoediarum actoribus, ut Chytrorum die certamen aemulatioque institueretur in theatro, utique victor ad urbana Dionysia destinaretur, quum id antea non liceret, renovans certamen obsoletum.* Inprimis tenendum est, legem a Lycurgo latam minime ad poetas comicos, sed ad histriones (τὸν περὶ τῶν κωμῶδων) pertinere. Deinde verba ἀγῶνα — ἐν τῷ θεάτρῳ nihil aliud significare possunt, quam, *certamen et aemulationem Chytris instituire in theatro*, quae est interpretatio vulgaris, nuper Boeckhio p. 101 probata, ubi apte comparat Plutarchum Vit. Solon. c. 29. οὐπω δὲ εἰς ἄμιλλαν ἐναγώνιον ἐξηγμένου; Dindorfius l. c. addit, ἄμιλλα et ἀγῶν jungi a Plutarcho Moral. T. I. p. 558 Wyttenb. Tum illa verba, καὶ τὸν νικῆσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, quae leviter intuenti obscura esse fateor, tamen et ipsa demonstrant, Lycurgi legem unice ad actores comicos spectare. Omnem scilicet obscuritatem tollit egregia glossa Photii p. 295, 24. Hesychii et Suidae, *Νεμήσεις ὑποκριτῶν: οἱ ποιητὰὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρωι νεμηθέντας, ὑποκρινομένους τὰ δράματα. ὧν ὁ νικῆσας εἰς τοῦπιὸν ἄκριτος παραλαμβάνεται. ἔστιν οὖν οἶον διαιρέσεις.* Ita Photius et ex eo Suidas



legunt, Hesychius autem *Νέμησις ὑποκριτῶν* — ἀκρίτως παρελαμβάνετο· (hoc quidem videtur praestare) ἔστιν οὖν ὡς ὢν διαίρεσις. Certe infelix est Hemsterhusii conjectura ad Luc. Timon. c. 51. *παρελάμβανεν*. Hoc enim volunt grammatici: poëtae sorte accipiebant histriones tres, quorum is, qui vicisset, proxima vice sine ulla sorte ad agendum adsumebatur. Simillimo autem instituto hic jubet Lycurgus, comoedum eum, qui Chytrorum die vicisset, ad urbana Dionysia inscribi, id est, urbanis Dionysiis sine ulla sorte ad agendas fabulas adscisci. Videlicet quum Anthesterione Chytri acti essent, paullo post Elaphebolione urbana Dionysia sequuta sunt. Ita illud Chytrorum certamen, quum aliquamdiu nescio qua incuria omissum esset, Lycurgo potissimum auctore restitutum est. Quodsi Chytrorum certamen a Lycurgo resuscitatum minime ad poëtas, sed tantum ad actores comicos referri debet, nunquam Athenis die Chytrorum fabulas esse editas adparet. Jam vero hasce actorum probationes, quas aliquamdiu intermissas Chytrorum die Lycurgus renovavit, solemnī nomine *ἀγῶνας Χυτρίνους* dictas esse, e scholiasta Aristophanis elucet ad Ran. 218. (220). *τοῖς ἱεροῖσι Χύτροισι*] — ἦγοντο δὲ ἀγῶνες αὐτόθι οἱ Χύτρινοι καλούμενοι, κατὰ φησι Φιλόχορος ἐν τῇ ἔκτῃ τῶν Ἀτθίδων. Certe ipsum nomen *ἀγῶνες Χύτρινοι* sic comparatum est, ut horum certaminum longe aliam fuisse rationem oporteat, quam dramatum Lenaeis aut in urbe editorum. Ceterum Hermannus l. c. non solum Aristophanis scholiastam cum lege Lycurgi egregie contulit, verum etiam Vitam Sophoclis commode nobis in memoriam redegit. Nempe in ista Vita e plurium grammaticorum libris temere conflata quum aliae res magnopere inter se pugnant, ³⁸⁾ tum vero etiam

³⁸⁾ Proxime in illa Vita haec antecedunt, *Φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἢ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ. ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Συκωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γερόμενον παῖδα, Σοφοκλέα τοῦνομα, πλέον ἔδτεργε. Καὶ ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθονοῦντα, καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ, ὡς ὑπὸ γήρωσ παραφρονοῦντι· οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δὲ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν· Εἰ μὲν*



quae de morte Sophoclis hisce verbis traduntur, p. XIX ed. Lips. a. 1827., (p. 386. ed. Teubner. Lips. 1825) *Τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν Ἴστρος*

εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμὶ Σοφοκλῆς· καὶ τότε τὸν Οἰδίποδα παραναγνῶναι. Eadem paene ad verbum leguntur in scholl. ad Ranas v. 73. Et apud Satyrum quidem ita Sophocles fabulatur, ut pulcellum Agathonem, antitheti venatorem, tibi audire loquentem videre, quem dixisse refert Athenaeus V, 211, e. *εἰ μὲν φράσω τάληδές, οὐχί σ' εὐφρανῶ· | εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τάληδές φράσω.* Omnino autem omnes, qui Sophoclem ab Jophonte filio dementiae accusatum sui defendendi causa Oedipum Coloneum partim recitasse iudicibus scribunt, vanitatem ineptissimae fabellae multis modis ipsi prodiderunt. Etenim Cicero, antiquissimus auctor istius commenti De Senectute c. 7. Sophoclem dicit, quum in summa senectute propter studium poëseos rem familiarem negligere videretur, a filiis (sic) in iudicium vocatum esse, ut, quemadmodum more romano male rem gerentibus patribus bonis interdici soleat, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. At hoc quidem est absurde mentiri, quando Sophocles in ipsa senectute, si quis alius, paterfamilias fuit ad rem attentus planeque alter Simonides, testante id Aristophane in Pace v. 679—683. Tum plerique totam Oedipum C. recitatam volunt, quod nimis ridiculum est, excepto tamen Plutarcho, qui ipse eadem, qua Cicero de filiis, chorda aberrat, An Seni Resp. Gerenda s. p. 785, A. *Σοφοκλῆς δὲ λέγεται μὲν ὑπὸ τῶν υἱῶν* (sic) *παρανοίας διλην φεύγων ἀναγνῶναι τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνοῦ πάροδον, ἣ ἐστὶν ἀρχὴ Εὐπίπου* —. Jam Lucianus iudices Oedipo fabula delenitos Jophontem ipsum dementiae condemnasse affirmat in Macrobiis c. 24. *ὡς τοὺς δικαστὰς τὸν μὲν ὑπερδανμάσαι, καταψηφίσασθαι δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ μανίαν.* Quo nihil minus credibile est, quam Jophontem publice dementiae condemnatum tragoedias docuisse. Paulo tamen humanior Appulejus est in Apologia p. 299., quo auctore omnes iudices non ita multum abfuerunt, quin accusatorem potius dementiae condemnarent. Profecto secus de fabula tam anili iudicaret Niebuhrius, si viveret. Tametsi hic nihil opus est Niebuhrio, quoniam Sophoclem Oedipum suam minime in iudicio recitasse praeclare iam viderunt Boeckhius In prooemio ind. lectt. Berol. hib. 1825—26 p. 6. et in Niebuhrii Museo Rhenano T. I. p. 55 sqq., atque G. Dindorfius ad Aristoph. Fragm. p. 56. Contra male nuper admodum fabulam istam defendit Herrmannus meus ind. lectt. Marburg. hib. 1836—37. p. VI sqq. Mendaciis enim tanquam pelle detracta hoc tantum emergit, Sophoclem in ex-



καὶ Νεάνθης φασὶ τοῦτον τὸν τρόπον. Καλλιπίδην ὑποκριτὴν ἀπὸ ἐργασίας ἐξ Ὀποῦντος ἦκοντα παρὰ τοὺς Χόας, πέμψαι αὐτῷ σταφυλὴν· τὸν δὲ Σοφοκλέα λαβόντα, καὶ βαλόντα εἰς τὸ στόμα ῥᾶγα ἔτι ὀμφακίζουσταν, ὑπὸ τοῦ ἄγαν γήρωος ἀποπνιγέστα τελευτῆσαι. Σάτυρος δὲ φησι, τὴν Ἀντιγόνην ἀναγιγνώσκοντα, καὶ ἐμπεδόντα περὶ τὰ τέλη νοήματι μακρῷ, καὶ μέσσην ἢ ὑποστιγμὴν πρὸς ἀνάπαυσιν μὴ ἔχοντα, ἄγαν ἀποτείναντα τὴν φωνὴν, σὺν τῇ φωνῇ καὶ τὴν ψυχὴν ἀφεῖναι. οἱ δὲ, ὅτι μετὰ τὴν τοῦ δράματος ἀνάγνωσιν, ὅτε νικῶν ἐκηρύχθη, χαρᾶ νικηθεὶς ἐξέλιπε. Igitur primam memoriam Istri atque Neanthis vel idcirco explodimus,

trema senectute Oedipum Coloneum edidisse ac praeterea cum Jophonte filio circiter eodem tempore nescio quid rixae exercuisse. Omnino qui historiam Graecam dignam hac literarum luce scribet, is ante omnia a fide historiae incredibilem turbam fabellarum (Anekdótschen) severe discernet, quibus quum alii scriptores graeci abundant, tum unus omnium maxime refertus est Plutarchus. Atque hoc quidem loco ipsorum Graecorum testimoniis rem, qualis fuerit, sine ullo errore inveniēmus. Dicunt autem, Sophoclem aliquando in tragoedia quadam Jophontem produxisse invidia ardentem, et ad curiales patri exprobrantem, quod prae senio deliraret; tumque curiales hanc Jophontis impietatem graviter castigasse. Remove hinc curiales, quibus nullus est in tragoedia locus; et veritatem plane tenebis. Namque Sophocles aliquando in tragoedia duo filios adultos induxit, quorum alter alteri invideret, patri autem palam vitio daret, quod prae senio jam delirare videretur, quae nefaria vox sive a Choro sive ab aliis personis reprehensa est. Athenienses vero, qui multas tragoediarum partes ad suam aetatem remque publicam adcommodare solerent, haec quidem ad Sophoclem ipsum et filium ejus Jophontem referebant. Ut paucis defungar, Athenienses hunc Aeschyli locum Sept. adv. Theb. 592 sqq. ad Aristidem transferebant, iidemque bene senserant, ab Euripide in Oreste v. 902 sqq. Cleophonem perstringi. Fabula autem Sophoclis ipsa hodie investigari non potest; nisi quod certum habeo, de Oedipo Coloneo minime esse cogitandum; multum enim a grammaticorum narratione discrepat Polynicis persona in scena illa caeteroquin egregia v. 1253—1446. Ceterum ex iis, quae supra diximus, adparet, G. Hermanni conjecturam, qui in Praefat. ad Oed. Col. p. XI. in vita Sophoclis et apud scholiastam καὶ ποτε ἐν διασθηρίῳ legi volebat pro καὶ ποτε ἐν δράματι, ferri nullo modo posse; ita enim duae diversae narrationes falso confunduntur.



quod Choum festo immaturae uvae ne cogitari quidem fingique possunt. At nimirum boni viri Sophoclem morte donabant Anacreontis, quem uvae passae acino suffocatum strangulatumque Plinius et Valerius Maximus referunt. Quum vero in narratione longe disseminata, quam produnt etiam Lucianus in Macrobiis c. 24. et poeta ignotus in Antholog. III, 25. p. 596., nihil veri inesse nequeat, sane Istro Neanthique credamus, Sophoclem Choum die mortuum esse. Non minus tragicum est pompamque mentientis grammatici ostentat alterum genus mortis, Satyri fide traditum. Scilicet Sophocles, credo, quum Antigonom praelegeret, et circa finem in longiorem verborum circuitum incidisset, vocemque unius inopia commatis nimium quantum intendisset, subito miser exspiravit. Ceterum primus auctor hujus fabulae melius noverat vocis tenuitatem, quae in Sophocle, similiter atque in Isocrate, certe fuit permagna (vide ipsam Tragici vitam p. XVII. *καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰδίαν ἰσχυροφωνίαν*), quam morbo senes, non aliquo interductu consumi reputaverat. Attamen ne memoriam istam omnino despexisse videamur, nos vero Sophoclem credimus, quum Antigonom aliudve drama praelegisset, diem suum obisse. Et profecto nonnulli dixerunt, mortuum esse Sophoclem, cui recitato Antigoniae dramate victoria praeconis voce nuntiata esset: etsi quod nimiam laetitiam in causa mortis fuisse volunt, in eo quidem fallunt plane ac falluntur. Sublatis igitur apertis mendaciis, quae grammaticorum inter se pugnantium fidem elevant, id postremo relinquatur, quod si minus certum, at valde probabile sit, Sophoclem Choum die, quum Antigonom publice praelegisset, victoriamque a praecone nuntiatam reportasset, placide defunctum esse. Hic vero Boeckhius, quum vidisset, Sophoclem Choibus publice Antigonom recitasse dici, comoedorum autem certamen a Lycurgo Chytris restitutum esse: praeclare, si quid video, conjecit, tragoe-dorum probationes Choibus, comoedorum proximo die Chytrorum institui solitas esse (p. 104. *Dieselbe Probe, welche die Tragiker an den Choen hatten, konnten die Komiker den folgenden Tag an den Chytren haben —*): cui in hoc uno contradixerim, quod vulgatae adsentiens famae mortem




Euripidis eodem tempore a Sophocle deploratam esse statuit. Hanc enim famam nuper in dubium revocavimus, probante Hermanno in Opusc. T. V. p. 203. Restat unicus testis fabularum Anthesteriorum festo editarum, Diogenes Laërtius, cujus longiorem paullo locum infra posui, III, 56. in Platone, Ὡσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγωδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἓνα. ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγωδίαν. οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδῆς, ὡς ὁ φυσικὸς, δεύτερον δὲ Σωκράτης προσέδηκε τὸν ἡθικὸν, τρίτον δὲ Πλάτων τὸν διαλεκτικὸν, καὶ ἐτελεθειούργησε τὴν φιλοσοφίαν. Egregia plane comparatio, quam Diogenes non sibi certe domi natam ex optimo duxit auctore. Sequitur difficilis locus, Θράσυλλος δὲ φησι καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν τοὺς διαλόγους. οἷον ἐκεῖνοι τέτραβι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Αἰθναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις. ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν. τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία. Jam Diogenem ipsum ita prorsus scripsisse, planum facit Suidae in Τετραλογία consensus, ubi omnem hunc locum e Diogene, ut ait ipse, paene ad verbum descripsit. Verum ex eo minime sequitur, Thrasyllum etiam eodem modo loquutum esse; Diogenes enim auctores suos compilando saepe turpiter corrumpit, omnium turpissime fortassis II, 18. in Socrate, quo de loco optime meritus est G. Dindorfius ad Aristoph. Frr. p. 20 sqq.. Sed nimium diu viri docti Diogeni isti crediderunt, in Panathenaea quoque tetralogias conferenti, velut ipse Bentlejus in Opuscul. p. 463 ed. Lips. Primum vero Barthelemyus Commentt. Acad. Inscript. T. XXXIX p. 172 sqq. Panathenaeis tragoedias unquam actas esse negavit, prorsus adstipulante praeter alios F. A. Wolfio in Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. XC. Postea exstiterunt, qui longius etiam progressi quatuor festorum nomina Διονυσίοις — Χύτροις in Diogene omnino expuncta esse vellent, primus omnium Wyttenbachius in Bibl. Crit. Vol. II. Part. III. p. 56., tum Eichstadius de *dramate comico-satyrico* (!) in Addend. ad p. 29.,




F. A. Wolfius in Prolegg. ad Homer. p. CXI. adnot., A. Boeckhius in libro de tragicis p. 208. et de Lenaeis p. 99., denique Huebnerus, novissimus Diogenis editor, p. 229. Hi quod interpolationem istam, ut putant, ad marginem relegarunt, in sententia dicenda non solum Panathenaeorum nomen sequuti sunt (hoc enim festo tetralogiae certe nullae docebantur), verum etiam recte censuerunt, tetralogias Platonis et tragicorum a Thrasylo simpliciter inter se comparari, ita ut alterutro tantum loco tempus festaque memorari nisi absurde nequeant. Nam quod $\omega\nu$ ad $\tau\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha\sigma\iota\ \delta\rho\acute{\alpha}\mu\alpha\sigma\iota\nu$ grammatice refertur, nemo nescit, pronomen relativum remotiori subjecto saepissime adcommodari. Illud vero acute Boeckhius l. l. observavit, Diogenem, quum ridicule putasset, quattuor dramata tetralogiae quattuor festis diversis edita esse, caeteris ludis Panathenaea inseruisse videri. Nobis quidem multo prudentius, quam caeteri omnes, de hac re judicasse Hemsterhusius videtur (ad Lucian. Timon. c. 51.), qui vir certe summus hunc Diogenis locum egregium esse, at parum hactenus intellectum confirmat. Ne enim quattuor festorum nomina deleantur, ipsum illud verbum $\chi\acute{\upsilon}\tau\rho\iota\varsigma$ impedimento est, doctius illud, quam pro interpolatore Chytrici certaminis haud dubie ignaro. Fingamus paullisper, unicum verbum $\Pi\alpha\nu\alpha\theta\eta\nu\alpha\iota\circ\iota\varsigma$ abesse; tum doctissime scriptor ostendet, tragicos in certamen tetralogias commisisse *Dionysiis, Lenaeis, Chytris*. Scilicet haec oratio praeclare respondet ad verba Aeliani, $\kappa\epsilon\acute{\kappa}\eta\rho\nu\kappa\tau\alpha\iota\ \gamma\acute{\alpha}\rho\ \Delta\iota\omicron\nu\acute{\upsilon}\sigma\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \Delta\acute{\eta}\nu\alpha\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \chi\acute{\upsilon}\tau\rho\iota$ — atque etiam Hippolochi, $\Delta\acute{\eta}\nu\alpha\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \chi\acute{\upsilon}\tau\rho\upsilon\varsigma\ \delta\epsilon\omega\rho\acute{\omega}\nu$, quorum locos supra designavi. Nam quod Chytris etiam, plane ut Dionysiis Lenaeisque, tetralogiis certasse tragici dicuntur, quum Chytris quidem histriones tantum probati sint, et fabulae publice recitatae: hunc errorem tam levem Thrasylo, a quo Diogenes totum locum inde a verbis $\text{Ὡσπερ δὲ τὸ παλαιὸν}$ — sumpsisse videtur, facillime condono atque remitto. Atqui neque hoc loco $\Pi\alpha\nu\alpha\theta\eta\nu\alpha\iota\circ\iota\varsigma$ stare potest, et in priore comparationis parte festum quoddam desideratur. Quid quaeris? Diogenes vero scribere in hunc modum debebat, $\Theta\rho\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\varsigma\ \delta\acute{\epsilon}\ \phi\eta\sigma\iota$, $\kappa\alpha\iota\ \kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\ \tau\acute{\eta}\nu\ \tau\rho\alpha\gamma\iota\kappa\acute{\eta}\nu\ \tau\epsilon\tau\rho\alpha\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\nu\ \acute{\epsilon}\kappa\delta\omicron\upsilon\nu\alpha\iota\ \alpha\acute{\upsilon}\tau\omicron\nu\ \tau\omicron\upsilon\varsigma\ \delta\iota\alpha\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\varsigma$



Παναθηναίοις· οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἡγωνίζοντο Διονυσίοις, Ἀθηναίοις, Χύτροις, ᾧν —. Neminem fugit, Homeri carmina a rhapsodis decantari Panathenaeis quinquennialibus solita esse, id quod tradiderunt falsus Plato in Hipparcho, Lycurgus in Leocratem, Isocrates et fortassis alii: vide unum de multis, F. A. Wolfium Prolegg. ad Homer. p. CLIII sq.. Similiter autem Thrasyllus existimabat, Platonem dialogos suos Panathenaeis, alteris, ut opinor, sive minoribus publice edidisse. Scilicet minime jam historiae fides agitur, sed hoc unum quaerimus, an Thrasyllus ipse ejusmodi quiddam fingere de Panathenaeis potuerit. Omnino enim quod dicitur Thrasyllus, Platonem dialogos quaternos tetralogiae tragicae instar edidisse, inter omnes hodie Platonis interpretes convenit, Thrasyllum longe hic a vero aberrasse. Ac nescio, an Thrasylli error potissimum ex eo manaverit, quod Plato tragicam tetralogiam aliquando scripsit, priusquam se totum philosophiae studio dicaret (Aelian. V. H. II, 50. *ἐπέθετο οὖν τραγωδία, καὶ δὴ καὶ τετραλογίαν εἰργάσατο*. Cum Aeliano Diogenes Laërtius atque Apulejus partim consentiunt). Tot itaque et tantorum testimoniorum auctoritas opinionem late a Ruhnkenio disseminatam funditus evertit. Verum ut omittam, plurima sane documenta repugnare, ne unus quidem aut scriptor antiquus aut grammaticus diserte prodidit, Lenaea nihil ab Anthesteriis discrepasse. Quo magis miramur, unquam exstitisse, qui hanc nobis doctrinam refellendam deridendamque propinarent. Cave vero existimes, opinionem istam a doctissimis viris ex vano haustam, neque scriptores legendo potius, quam argumentando repertam esse. Scilicet hoc nostri demum temporis felicitati reservatum est, ut impune omnibus effutire liceat, quidquid in buccam, ut dicitur, atque ut consentienti voci totius antiquitatis audacter, adde etiam inscienter illudamus. Olim tantus fuit pudor hominum doctorum tantaque mentiendi verecundia, ut nisi quod satis testatum et plane cognitum esse videretur, vix quisquam dicere aut in vulgus edere auderet. Ita vero Seldenus atque Ruhnkenius etiam hic multorum turba locorum, quos in somnis, credo, viderant, stipati incedunt. Ac Seldenus quidem quum omnia temere confundat multaque



prorsus aliena immisceat, tamen a Lenaeone mense proficiscitur, quem Anthesterionem esse confirmat. In quo fugit eum, ex Jonum mensibus festa Atheniensium constitui nullo modo posse, atticum vero Lenaeonem Posideoni, non Anthesterioni respondere. Deinde pergit ad Hesychii glossam, *Αθηναίων μήν*: — *ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον, ὃς μετὰ τὸν Βουκάτιόν ἐστιν. καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἀγοῦσιν.* Plane Hesychius Lenaea Hermaeo Boeotorum, sive Anthesterioni attico tribuit, ceterum is Hesiodi interpretes varia ac diversa permiscentes compilavit, eorumque turpissimos errores more suo suscepit. Ab Hesychio autem transit ad Proculum et Tzetzen, Hesychii quodammodo collegas et in explicationum confusione propemodum consanguineos, quorum ille ad Hesiodum scripsit, *ἢ τὸν Ἑρμαῖον, — καὶ ὄν καὶ τὰ Ἀθηναῖα παρ' Ἀθηναίοις.* *Ἰῶνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ἀθηναῖῶνα καλοῦσιν,* hic autem paullo post similiter sane, *Μῆνα δὲ Ἀθηναῖῶνα: — ὃς Ἀθηναίων παρ' Ἰῶσι καλεῖται, ὅτι τὰ Πιδοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο.* Sed de his quidem locis supra ad necessitudinem rei satis dictum est. Nam veteres philologi, in quibus graecos scriptores pulchre consentientes offendissent, ea recte atque ordine explicare solebant; quum vero scriptores atque grammatici inter semet ipsi pugnare coepissent, tum illi quidem, quo se verterent, non fere habebant, sed qui non sapienter tacuissent, ei vix se, quin foede ruerent, a lapsu continebant. In quo genere nunc ab omnibus, qui quidem praeter audaciam justae eruditionis copias afferunt, longe feliciter elaborari videmus. Seldenus quidem, quum adeo Hesychii et caeterorum glossam in *Διονύσια* prodesse causae suae dixisset, commune illud quidem omnium, qui de Lenaeis scripserunt, armamentarium, sed huic conjecturae vel maxime infestum, postremo Scaligeri rationes tanta infelicitate impugnavit, ut legentibus nobis nauseandum esset. In iisdem fere erratis disputatio versatur Ruhnkenii, qui utinam ne tam leviter ac perturbate de tanta re scribere in animum induxisset. Cujus brevissimae scriptioni qui totum paene librum opposuit, neque eo magis tamen aut eximiam laudem Hermanni, aut Boeckhii adsensum reportavit, Kanngiesser l. l. p. 205




— 336., non cogitaverat, Ruhnkenii errorem paucis sane verbis non ad opinionem solum, sed plane ad veritatem demonstrari posse. Operae pretium est, Ruhnkenium ipsum audire. *Nam Lenaeorum sollemnitatem*, inquit, *in Lenaeonem vel Anthesterionem incidisse, magno consensu veteres tradunt.* At ne verbo quidem ostendit, Lenaeum mensem Anthesterionem fuisse, quod ipsum paullo post iterum posuit: *Quid igitur? An Anthesteria eadem fuerunt, quae Lenaea, sive quae in Limnis agitabantur, sicut Anthesterion idem mensis fuit, qui Lenaeon?* Ita visum est Scaligero, Casaubono (at his non visum est), Seldeno, et D. Petavio (ne Petavio quidem ita visum) etc.. Veruntamen quinam sunt illi veteres, quos tanto consensu Anthesterioni dedisse Lenaea narrat? Ordine jam apud Ruhnkenium sequuntur Hesychius in *Ἀθηναίων μῆν* —, et sodalis Hesychii Proculus, quorum certe tantus consensus est, quantum cogitari maximus potest. Sed ecce! locis veterum negligenter collatis alii Ruhnkenio auctores atque patroni nascuntur. *Maneat igitur*, inquit, *quod non solum Hesychius* (scilicet, ne id forte nescias, in *Διονύσια*) *sed multo locupletior auctor, Theophrastus Char. IV. docet, a Ἀθηναίοις diversa fuisse τὰ κατ' ἀγροῦς Διονύσια.* At Theophrastus l. l. Lenaea quidem ne commemorat quidem, sed tantum docet, ruralia Dionysia in Posideonem incidere, p. 12 ed. Schneid. καὶ ὡς Βοηδρομιῶνος μὲν ἐστὶ τὰ μυστήρια, Πνανεσιῶνος δὲ Ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ τὰ κατ' ἀγροῦς Διονύσια. Aliquanto post ita scribit, *In Anthesterione hoc festum (Lenaea) etiam collocat Philostratus de Vita Apollon. IV. 21. ubi quos Goth. Olearius commisit errores, quamvis immanes, libenter praetermittimus.* At ne Philostratus quidem mentionem facit Lenaeorum, sed nihil aliud, quam Anthesteria ipsa in mense collocat Anthesterione, p. 177 ed. Morell. *Ἐπιπλήξαι δὲ λέγεται περὶ Διονυσίων Ἀθηναίοις, ἃ ποιεῖται σφίσιν ἐν ὄρα τοῦ Ἀνδραστηριῶνος. ὁ μὲν γὰρ μονωδίας ἀκροασόμενος καὶ μελοποιίας παραβάσεων τε καὶ ῥυθμῶν, ὀπόσαι κωμωδίας τε καὶ τραγωδίας εἶδιν, ἐς τὸ θέατρον συμφροιτῶν φέτο· ἐπειδὴ δὲ ἤκουσεν, ὅτι ἀύλου ὑποσημήναντος λυγισμοὺς ὀρχοῦνται καὶ μεταξὺ τῆς*



Ὀρφείως ἐποποιίας τε καὶ θεολογίας τὰ μὲν ὡς Ὀραι, τα δὲ ὡς Νύμφαι καὶ ὡς Βάκχαι πράττουσιν κτλ.. Sed quum caetera Ruhnkenii argumenta vix satis digna tanti viri persona esse videantur, tum ea imprimis vana sunt, quae ex Aristophane comico repetiit. Exordiar a loco Ran. 209 sqq. Βρεκεκεκέξ κοᾶξ κοᾶξ, | βρεκεκεκέξ κοᾶξ κοᾶξ. | λιμναῖα κρηῶν τέκνα, | ξύναυλον ὕμνων βοᾶν | φθρυγῶμεθ', εὐγυρῶν ἐμὴν ἀοιδᾶν, | κοᾶξ κοᾶξ, | ἦν ἀμφὶ Νυσηῖον | Διὸς Διώνυσον ἐν | Λιμναίῳ ἰαχῆσαμεν, | ἦνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος | τοῖς ἱεροῖσι Χυτροῖσι | χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος. | Βρεκεκεκέξ κοᾶξ κοᾶξ. *Palustris fontium proles, ad tibiam hymnorum clamorem tollamus, numerosum cantum meum, coax coax, quem circa Nyseum Bacchum Jovis f. Limnis edere solemus, quotiens inebriata populi multitudo sacro Chytrorum die ad templum meum commissatum venit.* Λιμναῖα — τέκνα ad Acherusiam refertur paludem, in qua illae ranae natate finguntur. Alieno igitur loco positum est Scholium Rav. *Λίμνη* (sic) *τόπος ἱερὸς Διονύσου* — ἦγον ἑορτάς, quam explicationem scholiasta vulgatus bene verbis ἐν *Λιμναίῳ* adcommodat. Quinam sint illi hymni, quos Ranae in Bacchi honorem Chytris se dicunt cantare, parachoregema ipsum declarat his verbis, εὐγυρῶν ἐμὴν ἀοιδᾶν, κοᾶξ, κοᾶξ: Kanngiesserum enim, qui de sublimi ranarum carmine nescio quo somniavit, merito ridet Hermannus. Deinceps ranae hoc volunt: sicuti Nyseum Bacchum Chytrorum die in Limnis celebrare solemus, ita jam eum Bacchum, qui cum maxime Acherontem a Charonte transvehitur, coaxando extollamus. Tum ἐν *Λιμναίῳ* Berglerus comici esse dicit in ambiguitate ludentis, quoniam *λίμναι* et lacus sint ranarum sedes, et locus Athenis cum templo Bacchi antiquissimo. Idem visum l. l. Hermanno et Boeckhio p. 85., qui non verbi solum lusum esse dicit, verum etiam sententiae; ranas enim coaxasse in palude Limnarum loco vicina. At in ipsis Limnis coaxare ranas dicit Aristophanes. Sed de omni hac re melius, quam viri docti, scholiastae sive potius grammatici statuerunt. Nihil enim magis frigidum cogitari posset isto verbi lusu, non etiam sententiae, *Λιμναῖα κρηῶν τέκνα* — ἐν *Λιμναίῳ*



ἰαχῆσαμεν, nisi ingeniose pergeret Aristophanes, χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος. Nempe praeferoces ranae, quae in toto loco ridicule cum Baccho certare solent, Bacchi templum in Limnis suum esse clamitant, quod et ipsae illic, sicuti Bacchus habitent, et quia ipsum nomen Λίμναι ranarum magis domicilium, quam Bacchi monstrare videatur. Optime igitur scholiastae, ἐμὸν τέμενος: λέγουσι τὸ ἐν Λίμναις τοῦ Διονύσου ἱερόν. πρὸς δὲ τὴν ὁμωνυμίαν, ὅτι ἐν λίμναις εἶσιν οἱ βάτραχοι, Λίμναι δὲ καὶ τὸ ἱερόν. Deinde ἰαχῆσαμεν aoristum verissime interpretatur Ruhnkenius, *cantare solemus*. Male verterunt Brunckius *cantavimus*, Vossius *wit töneten*, Boeckhius *sonst* (in Limnä) *sangen*, Hermannus *gesungen haben*, qui Kanngiessero adsentitur, Ruhnkenii explicationem hic grammaticae adversari. Non video equidem, quaenam sit haec tam nova grammaticae. Imo necessaria est illa expositio et ob nexum orationis, ἰαχῆσαμεν, ἤνιχ' — χωρεῖ *cantare solemus, quoties die Chytrorum populus comissatum venit*, et propter rem ipsam. Neque enim semel coaxarant ranae, sed quotannis Anthesteriis festoque Chytrorum strepere consuerant. Omnino ne defendi quidem potest aut intelligi translatio, *cantavimus*, quoniam non umbrae ranarum, quae olim in hac vita coaxarant, sed vivi videntesque ranunculi brecececebant. Sed tamen qua ratione ex hoc loco consequatur, Lenaea nihil ab Anthesteriis differre, vix Oedipus aliquis conjiciat. Ruhnkenio quidem iudice fabula hoc loco in Chytrorum festo acta esse dicitur. At contra ranae praesens tempus a Chytrorum die longe secernunt; eum nunc, inquit, clamorem incipiamus, quem alias Chytrorum festo edere solemus. Fac tamen, scenae tempus argumentique Chytrorum die contineri, quod secus est, quisnam ex eo colligat, Chytros nihil a Lenaeis discrepare? Verum enim Ruhnkenius rationem ita conclusit: Ranas Aristophanes docuit Lenaeis, ut ex veteri didascalia apparet; atqui in ipso dramate Chytri aguntur: ergo Lenaea comprehendebant Chytros. Quae conclusio non ideo solum falsa atque inanis est, quod in illo dramate Chytri, sicut vidimus, nulli aguntur, verum etiam alio nomine explodenda est. Commiscet enim Ruhnkenius datae temporis fabulae cum ficto et cogitato tempore argumenti, rem ab illa diversissimi-



mam. Tametsi enim Ranas Lenaeis (Ol. 95, 3.) editas esse constat, longe tamen aliud tempus est, quo haec omnia a poëta accidisse finguntur. Licet vero argumenti tempus nusquam adcurate indicatum sit, non magis, quam scenae locus, de qua re jam grammatici graeci varie disputarunt, tamen probabile duco, Aristophanem res illas omnes media aetate potissimum actas voluisse. Quantopere Ruhnkenius hocce loco Ranarum abusus sit, plane jam, ut spero, compertum est; videamus nunc, satin recte idem Acharnenses totos in rem suam converterit. Quanquam hic quidem Ruhnkenii error jam ab Hermanno l. l. atque a Boeckhio p. 86 — 95. tanta diligentia refutatus est, ut mihi paucis defungi liceat. Nam Ruhnkenius perpetuo hujus fabulae argumento, quod notissimum est, recte omisso haec tantum observat, scenam Athenis esse, haberi comitia de maximi momenti rebus, Dicaeopolidem, longi belli pertaesum, caeteris bellum praeferebantibus, pacem sibimet soli a Lacedaemoniis comparare. Qua impetrata, eum gaudio exsultantem, Athenis avolare in pagum suum ibique celebrare τὰ κατ' ἀγροῦς Διονύσια, quae propria pagis fuisse (v. 202. 238. 255.). Adhuc rectissime vir eximius. Cedo, quid postea? *Mox vero, inquit, Athenas reversus, cum Atheniensibus Lenaea celebrat, eorumque mentionem facit v. 503. Nam hoc drama Lenaeis editum esse, tum multa alia, tum vetus Didascalia, docent.* Versus ipsos adscribere placet,

Οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
 ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
 αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὐπὶ Ἀθηναίῳ τ' ἀγών,
 κοῦ' ἔγωξοι ξένοι πάρεσθιν· οὔτε γὰρ φόροι
 ἤκουσιν, οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ζύμμαχοι κτλ.

Cleon in senatu accusaverat Aristophanem, quod in Babyloniorum fabula magnis Dionysiis edita coram peregrinis Reipublicae maledixisset. Jam interlocutor poëtae sui causa suscepta: at nunc quidem Cleon, inquit, jactare hoc crimen non poterit; neque enim magnis Dionysiis, sed Lenaeorum festo Acharnenses aguntur. Tantum igitur abest, ut Dicaeopolis cum Atheniensibus hic Lenaea celebret, ut mentem Comici ipsius



aperiens citoque in vitam e scena transiliens (qui mos est veteris comœdiae) Acharnenses fabulam Lenaeis edi doceat. Namque Lenaeis hanc fabulam, minime urbanis Dionysiis commissam esse, adeo clarum et testatum est, ut mirari liceat, hanc rem negari a Kanngiessero atque etiam a G. Hermanno potuisse. Quam opinionem rectissime Boeckhius p. 90. ostendit vel hoc uno versu Aristophanis, *αὐτοὶ γὰρ ἔσμεν, οὐκ ἂν Ἀθηναίῳ τ' ἀγῶν* confutari. Quod autem Boeckhius p. 86. 87. veteres didascalias amplissima laude prosequitur, ego vero facile concesserim, eas certe didascalias, quae aetatem tulerunt, in summa re nihil usquam mentiri, postremo tantum quum caeteris, tum maxime Aristoteli tribuo, quantum res ipsa postulat. Quodsi quis dicet, haec monumenta jam a Callimacho videri contemta esse (Schol. ad Nub. 544. *Ἐρατοσθένης δὲ φησι, Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις* —), is sciat, Callimachi nugas praeclare ab Eratosthene redargui. Illud tamen nollem, Boeckhius hanc potissimum didascaliam tantopere admiratus esset (p. 86. es giebt keine bestimmter und gelehrter redende Didastalie, als gerade diese —). Verba haec sunt, *ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος ἐν Ἀθηναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν. δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις· οὐ σώζονται. τρίτος Εὐπόλις Νουμηνίαις*. Bene jam olim Palmerius vidit, *ἐπὶ Εὐθυδήμου ἄρχοντος* hic scriptum oportuisse: dati sunt enim Acharnenses Ol. 88, 5. archonte Euthydemo. At minime hic quidem nomina *Εὐθυμένους, Εὐθυδήμου* a librariis temere confusa sunt, verum ipse didascaliae scriptor Euthymenem archontem erubescendo paene dixerim errore sumsit ex Acharn. v. 67., ubi recte scholiastae, *πρὸ 1β ἐτῶν ἤρχεν ὁ Εὐθυμένης Ἀθήνησι*. Atqui iste scriptor, si Euthymenem ex Acharnensibus repetere poterat, poterat, credo, etiam Lenaea ex iisdem Acharnensibus mutuari. Quanquam si ab Euthymene archonte discesseris, ne in hac quidem didascalia ullus error residebit. Scilicet male Elmslejus verba *οὐ σώζονται* post *Νουμηνίαις* transponi iussit. Tum vero grammaticus et Cratini fabulam et Eupolidis juxta editas illas quidem, ceterum temporis injuria perisse diceret. At Chimazomeni tantum Cratini interciderant, Numenias autem suas Eupolis offensus injuria



repulsae ne omnino quidem sibi edendas putaverat. Quare grammaticus, quum Cratini fabulam interisse accepisset, Eupolidis vero comoediam, cujus nomen solum ex antiquiore didascaliam cognorat, caetera prorsus nesciret, de hujus quidem fortuna sapienter tacuit et rectissime ita scripsit, uti supra vidimus. Denique non omitam scholiastas, qui hanc comoediam iterum iterumque Lenaeis adscribunt, ad v. 356 (377) — τὰ δὲ Ἀθήναια ἐν τῷ μετοπῶρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρήσαν οἱ ξένοι, ὅτε τὸ δράμα τοῦτο οἱ Ἀχαρνεῖς ἐδιδάσκετο. et ad v. 478 (503) χειμῶνος γὰρ λοιπὸν ὄντος, εἰς τὰ Ἀθήναια καθήμε τὸ δράμα. Qui ipsi loci, ut ante dictum est, Lenaeorum festique ruralis nexum egregie declarant. Certissimum est igitur, Comicum Acharnenses suos Lenaeorum festo docuisse. Illud vero jam Kanngiesserus, Hermannus, Boeckhius certatim mirati sunt, ad Acharnenses fabulam v. 1119. ὅς γ' ἐμὲ τὸν πλήμονα Ἀθήναια χορηγῶν ἀπέκλεισε δεῖπνων revocari a Ruhnkenio potuisse. Ego nuper (De Daetalensibus p. 9.) certis argumentis evici, hunc locum non alio, nisi ad Daetalenses esse referendum. Satis, ut spero, demonstratum est, scenam atque vitam a Ruhnkenio hic iterum mirifice commisceri, neque ut ruralia Dionysia, sic etiam Lenaea ab histrione fingi agitata esse. Alio loco Ruhnkenius hos ponit Acharnensium versus, 925. εἰς τοὺς Χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κυχλῶν, 1040. ὑπὸ τοὺς Χόας γὰρ καὶ Χύτρον —, 1171. τίς Χουδὶ γὰρ σ' ἐπράττετο ἔμβολὰς βαρείας; Deinde ita concludit: *Quid ex hoc temporis indicio cogi potest? Nempe fabulam editam esse in festo Χόων. At ex v. 503. — in Lenaeis editam esse liquet. Est igitur luce clarius, Χόας partem esse Lenaeorum, Lenaea nihil differre ab Anthesteriis.* Adeo vir magnus ad istam suam confusionem, quasi ad antiquum ingenium redit, ignarus, Choas Chytrosque in scena tantummodo celebrari; neque enim verbo indicavit Aristophanes, fabulam illam Choum festo editam esse. Quae quum ita sint, ex Acharnensibus plane intelligi nequit, quonam Lenaea pertinuerint: haec enim fabula Lenaeis publice edita atque in certamen commissa est, ruralia autem Dionysia et Choes Chytrique unice in scena aguntur. Fuerunt tamen, qui in hoc ipso



multum haesitarent, quod in una eademque comoedia et ruralia Bacchalia et Anthesteria concelebrari viderentur, quorum festorum illud in extremum auctumnum, hoc in ver primum incidebat. At vero qui Acharnenses uni tempore reddere frustra studuerint, ei rem ad hunc diem inauditam comminisci debebunt, ruralia Dionysia nihil quidquam ab Anthesteriis differre. Ceterum de hac etiam re breviter quidem, sed prudentissime verissimeque Boeckhius disputavit (p. 94. Nach den ländlichen Dionysien endlich werden auf der Bühne die Choen gefeiert, welche in den Anthesterion fallen, so daß also das Schauspiel mindestens zwei Monate umfaßt. Dies schien dem Oederici unmöglich, da Aristophanes die Geseße der Dichtung nicht so verlesen könne; Geseße, die kein alter Römer kannte.). Vereor tamen, ne vel ipse Boeckhius nescio quid erroris commiserit. Namque et priores Thesmophoriazusae, quae hodieque servatae sunt, secundum modo diem festum jejunii (*Νηστεία*) complectuntur, et secundae Thesmophoriazusae insequenti die festo (*Καλλιγενεία*) unice circumscriptae erant, ut alio loco docui, et *Ἀῆμοι* Eupolidis in tertio Apaturiorum die versabantur (Cf. Raspius meum in commentatione p. 11 sqq.), neque Aeschylus Niobe nisi tertium diem post caedem Niobidarum repraesentabat (vide dissertationem nostram de illa tragoedia p. 52.), ne plura afferam exempla. De caetero verissimum est, plerumque neque tragicos poetas et multo minus Comicos veteres laborasse, ut omnes fabularum partes in unum idemque tempus convenire viderentur; quin etiam saepe ne dici quidem aut inveniri potest, quantum temporis spatium aliquo dramate contineatur. Immo illi satis habent cavere, ne aliud tempus alio evertatur, temporumque ordine confuso res ipsae inter se pugnare incipiant; quemadmodum in ipsis Acharnensibus v. 964 — 966. Choes clara voce a praecone indicuntur, nempe ut spectatores Anthesteria nunc demum agenda a rurali festo supra celebrato discernere queant. Credo autem, Ruhnkenium, qui Anthesteriis Lenaea tribuebat, alio potius Aristophanis loco usurum fuisse, si modo cognitum exploratumque habuisset. Haec enim in Equitibus v. 89. leguntur, *Νικ. ἰδοὺ γ' ἄκρατον. περὶ ποτοῦ γούν ἐστὶ σοι; | πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βου-*



λεύσαιτ' ἀνήρ; | Δημοσθ. ἄληθες, οὔτος; κρουνοχυτρολήραιοι εἶ. | οἶνον σὺ τολμᾷς εἰς ἐπίνοιαν λοιδορεῖν; | οἴνου γὰρ εὔροις ἂν τι πρακτικώτερον; In verbo sesquipedali eoque permirō libri haud sane multum variant. Nam κρουνοχυτρολήραιοι enotatum e libro Victorii et

ον
Juntina prima, κρουνοχυτρολήραιοι e perbono cod. Florentino Γ, vulgatam denique scripturam κρουνοχυτρολήραιοι non solum habent Ravennas, Venetus, Juntina secunda, verum etiam Ulpianus ad Demosth. Olynth. III. p. 58 ed. Wolf., scholiastes et Suidas in ipsa voce, qui etiam h. l. scholiastam expilavit. Ego vero hominum doctorum silentium in voce manifesto corrupta mirari satis non queo. Quis enim unquam fando audivit, Graecos adjectivum λήραιοι a nugis (λήρος) ductum usurpasse? Atque ut hoc praeteream, omne istuc verbi portentum quid tandem significat? Scholiastes enim Suidasque, qui haec verborum elementa quaesiverunt, κρουνός, χύτρα, λήρος, sat scio, frustra laborent, si e tali compositione idoneam sententiam elicere jubeantur. Ut paucis absolvam, lectiones κρουνοχυτρολήραιοι et — λήραιοι significant κρουνοχυτρολήραιοι, atque hoc ipsum κρουνοχυτρολήραιοι sine controversia posuit Aristophanes, ut jam ad Thesmoph. v. 291. verbo indicavi. Nempe hoc decompositum his constat partibus, κρουνός, Χύτροι, Ἀήναια. Quum enim Demosthenes, homo vinosus, Niciam aquae potorem graviter reprehendat, κρουνοχυτρολήραιοι εἶ, inquit, tu Chytros et Lenaea aqua profluente, non vino celebras. Nimirum hoc vult iste vini laudator: tu quidem non es οἶνο — χυτρολήραιοι, sed ὕδατο — sive κρουνο — χυτρολήραιοι. At enim existere possit vafer Ruhnkenii patronus, qui ita potius verbum praelongum exponat, tu aqua agis Chytros Lenaeorum, (vel etiam Chytro^{rum} Lenaea). Sed quum in quovis ejusmodi Composito singulis partibus copulam recte interponere liceat, verbum a nobis restitutum ita plane interpretari debemus, ut supra dictum est. Etenim Aristophanes duo festa, Chytros et Lenaea prorsus eodem modo conjunxit, quo supra vidimus Hippolochum, Ἀήναια καὶ Χύτροις Θεωρῶν, Aelianum, Ἀήναια καὶ Χύτροι, et Diogenem Laërtium, Ἀη-



ναίσις, Χύτροις. Superest unum testimonium opinionis a Seldeno et Ruhnkenio acriter defensae, sive potius quaedam umbra testimonii apud scholiastam ad Acharn. 925 (960) Apollodori auctoritate utentem, *φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος — (ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ἀθηναίου) — καὶ ἀπ' ἐκείνου Ἀθηναίοις ἑορτὴ ἐνομίσθη οἱ Χόες.* Omnino Choas, qui hic describuntur, Lenaei potissimum Bacchi festum dici videmus; verum Choes Lenaeo Baccho sacri idcirco minime in Lenaea ipsa converti debent. Neque enim qui haec omnia tradidit, Apollodorus a semet ipso deficere potest; supra vero idem praeclare nos docuit, ruralibus Dionysiis Lenaea adsignare. Scilicet neque Ruhnkenii conjecturae haecce memoria favet, neque rescribendum est, ut olim ipse conjeci, *ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ἀναίου,* sed, nisi vehementer erro, res ita se habet. Inter agrestia Bacchanalia sive Lenaea et Anthesteria non solum ea necessitudo, quae omnium Dionysiorum communis fuit, intercedebat, verum haec duo festa etiam proprio quodam vinculo et arctiore copulata erant. Quanta fuerit Anthesteriorum festique ruralis quum inter ipsa similitudo, tum ab urbanis Dionysiis discrepantia, infra fortassis copiose demonstrabo; hic enim illud satis est, Anthesteria non minus quam Lenaea Lenaeo, non alii Baccho consecrata fuisse. Enimvero hoc planissime ex eo efficitur, quod et Lenaea et Anthesteria in uno eodemque templo Athenis celebrata sunt, ut supra p. 36. memoravimus. His jam scriptis, quae ipse video quam sint imbecilla, obscurum Apollodori locum tandem penitus, ut equidem spero, intellexi; de qua re infra dicetur ad Anthesteria. Vidimus ergo, non solum qui Anthesteriis Lenaea insereret, neminem unum antiquitus inventum esse (praeterquam quod Proculus ad Hesiodum et qui e communi fonte profluxit Hesychius utrumque festum inepte confuderunt), sed etiam multos scriptores sine dubio contrarium testari, postremo tot tantasque res huic conjecturae obstare atque officere, ut ea vix cogitari omnino mentique informari posse videatur. Quamobrem Seldenus ac Ruhnkenius literis nostris profecto melius consulissent, si hanc infelicissimam opinionem aut ne concepissent quidem, aut vixdum natam ocus damnassent, aut certe quidem in lucem proferre atque in vulgus edere verecundati essent.



Restat A. Boeckhii sententia, quae post paullo examinabitur, si prius de Boeckhio ipso, quidnam mihi videatur, libere candidè que dixerò. Tantum enim abest, ut ego Boeckhii animum vel levissime offensum ab ullo velim, ut ei, quoniam semper certe non licet, at quam saepissime adsentiar, neque ab eo unquam, nisi perinvitus et post diuturnam cunctationem discedere audeam. Namque inter omnes constat, Boeckhium sine controversia virum esse longe doctissimum, qui praeclarissime de literis nostris et meritis sit et mereatur. Quod nisi de viro agerem justis omnium laudibus celebrato, permulta in hanc sententiam disputare liceret; nunc autem hoc unum dicam, in quo omnes mecum scio consensuros esse. Ajo igitur, A. Boeckhium quum omnem vitam in nostrarum literarum studiis consumere, tum Pindari carmina olim commentariis plane egregiis illustrasse, Inscriptiones autem graecas, quas nuper edidit, non sine eximia quadam doctrina vel obscuras explicasse, vel correxisse depravatas, vel etiam mutilas in integrum restituisse. Idem vero Antiquitates Graecorum maximeque atticis nimium diu neglectas contemtisque summo studio renovare coepit et in vitam quasi lucemque publicam reducere: in quibus quidem literis sic ille habitat, ut perpauci cum eo comparari possint, anteferatur ei nemo. Nec profecto, quid ita G. Hermannus et A. Boeckhii tantopere inter se dissentire soleant, equidem statuere possum. Scilicet neque Boeckhii linguam graecam contemnit, sed nimirum graece scit admodum luculenter; et Hermannus non solum metricam doctrinam, res vel difficillimas, in lucem e tenebris protulit, verum etiam multas alias Antiquitatum partes, inprimisque eas, quae ad tragoediam Graecorum attinent, praeclare affecit atque inchoavit. Omnino non nostrum est, tantas componere lites: sed certe aequius multoque utilius futurum erat, ea ipsa arma, quibus nunc domi atque intus cum parvo emolumento decernitur, in externos literarum nostrarum adversarios, quorum indies multitudo augetur, quam primum converti secundum illud aureum Aeschylis praeceptum, *Θυράϊος ἔστω πόλεμος*. Nam si ne tirones quidem, quorum nota est consilii infirmitas, temere rixari sinimus, profecto indignum est, principes viros et



quidem earum literarum coryphaeos, quae et nominatae sunt ab humanitate, et ex ea totae censentur, tam diu tamque acriter inter se contendere, quum praesertim in summa re peramanter consentiant, nec nisi propter minutas quasdam partes bellum sibi nescio quod indixerint. Nunc ad rem propositumque meum revertor. Scribit igitur Boeckhius in notissima disputatione, Lenaea, pariter illa et a ruralibus Dionysiis et ab Anthesteriis diversa, singulare Atheniensium festum fuisse atque id Gamelione mense celebratum. Et quidem clarissimi viri hanc sententiam plausu exceperunt. At quam multi olim Scaligero, quam multi etiam Ruhnkenio re inexplorata adsentati sunt? Quare omissis auctoritatibus rem ipsam, qualis sit, investigare placet. Ac primum quidem fieri potuisse negamus, ut Lenaea, hoc est torcularium festum vindemiaeque proximum media hieme agerentur. Deinde quum Lenaeis dramata sua docere poëtae soliti sint, ne attici quidem cives, quorum maxima fuit ludorum spectandi cupiditas, in frigidis theatris neque igni ullo calefactis totos dies considerare potuerunt. Tum vero quis tandem animum inducet, ut credat, Athenienses in unius Bacchi honorem quatuor festa penitus diversa quotannis instituisse I, τὰ κατ' ἀγρὸς Διονύσια Posideone, II, τὰ Αἰθναία Gamelione, III, τὰ Ἀνθεστήρια Anthesterione, IV, τὰ ἐν ἄστει Διονύσια Elaphebolione? Quin etiam ne cogitari quidem fingique potest, Lenaea singulare quoddam festum apud Athenienses fuisse. Nam alioquin caeteros hujus festi dies, ritus, caerimonias, sacra denique sine dubio perspecta haberemus. Atque id tanto confidentius dicere licet, quum Lenaea vel propter ludos poëtarum inter magnifica festa adparateque facta referri debeant. Quaeso enim, ubinam gentium versamur? Nempe sermo est de Atheniensibus, quorum res magnae parvaeque a centum scriptoribus, adde etiam a mille grammaticis luculente expositae sunt. Quare non est dubitandum, quin Lenaea pars alicujus festi, non festum totum atque integrum fuisse recte vulgo censeantur. His argumentis et aliis praeterea bene multis ab nova sententia equidem deterrerer, etiamsi ea sat graves auctores invenisset atque fidem haberet antiquitatis; nunc autem meram illam quidem nobis




Boeckhii conjecturam atque opinionem videri ingenue fateor. Quam quidem si ex vano haustam esse, neque ullo inniti testimonio jam nunc dicerem, profecto facerem impudenter, et verecundiam tanto viro debitam parum modeste habuisse viderer. Tametsi Boeckhius primus ac solus post hominum memoriam Lenaea singulare festum aliquod fuisse interpretatur; quod certe ejusmodi est, ut cujusdam praejudicii vim recte habiturum sit. Verum enim satius est, ut opinor, eos testes, quibus sibi Boeckhius utendum putavit, ordine singulos interrogare, et quemadmodum latine dicitur, excutere. Quum igitur vir eximius bene a Lenaeone mense profectus esset, p. 52 contendit, perpetuos Jonum menses hos, Posideonem, Lenaeonem, Anthesterionem atticis mensibus Posideoni, Gamelioni, Anthesterioni diligenter respondere, et quoniam ionicus Lenaeon nihil a Gamelione attico discrepet, Lenaea Atheniensium certe antiquissimo tempore in Gamelionem incidisse. At praeterquam quod atticus Lenaeon ab ionico tum non distinguitur (qui error Boeckhio cum reliquis viris doctis communis est), falso existimat, Gamelioni Lenaeum ionicum respondisse, quem docti praeter Boeckhium omnes recte judicarunt in Anthesterionem potius convenire. Praeterea Jonum fasti ab atticis usque eo abhorrent, ut etiamsi ionicus Lenaeus Gamelioni congrueret, tamen ne sic quidem ullo modo sequeretur, Athenienses Gamelione Lenaea agitasse. Deinceps Boeckhius ad Proculum Hesiodi versus interpretem progressus prima illius verba, *Πλούταρχος οὐδένα φησὶ μῆνα Ἀθηναίωνα Βοιωτοὺς καλεῖν. ὑποπτέει δὲ ἢ τὸν Βουκάτιον αὐτὸν λέγειν* — recte sic accipit, ut Bucatium Boeotorum cum Gamelione attico comparandum esse doceat. Sed meminerimus, hic nihil aliud, quam Plutarchi conjecturam exprimi (*ὑποπτέει δὲ*, inquit Proculus), eamque ipsam, ut supra ostendimus, falsam atque inanem. Tum illa verba Proculi ejusdem adjungit, *ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς ἐστι μετὰ τὸν Βουκάτιον, καὶ εἰς ταῦτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι, καὶ ὃν καὶ τὰ Ἀθηναία παρ' Ἀθηναίοις. Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ἀθηναίωνα καλοῦσιν.* Adparet, additamentum istud, *καὶ εἰς ταῦτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι* in maximo quodam errore versari. Quum enim



modo ipse Proculus cum Gamelione Bucatium contulerit, prorsus necesse est, Hermaeum, proximum mensem, haud sane Gamelioni, sed certe Anthesterioni respondisse. Quamobrem sive librarii Gamelionis comparationem ad Bucatium referendam alieno loco inculcarunt, sive etiam ipse Proculus turpiter foedeque erravit: hoc quidem manebit, verborum καὶ εἰς τ. — Γαμηλιῶνι nullam omnino interpreti rationem ducendam esse. His autem portentis de medio sublatis in hunc modum grammaticus loquetur, ἢ τὸν Ἑρμαιοῦ, ὃς ἐστὶ μετὰ τὸν Βουκάτιον, καὶ ὃν καὶ τὰ Ἀθήναια παρ' Ἀθηναίους. Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ἀθηναίων καλοῦσιν. Et in extremo quidem Hermaeum (is est autem Anthesterion) rectissime cum Jonum Lenaeone contendi videmus. Ceterum Graeci in antiquis commentariis alii Lenaeonem Hesiodi pro Hermaeo (Anthesterione) satis absurde habuerunt, ducti Lenaeone ionico, alii vero pulchre viderunt, Lenaeonem Hesiodeum ipsissimum Posideonem esse, ideo quod hoc mense Lenaea Athenis obiri solerent. At Proculus novo hic iterum errore commisso veram divulgatamque Lenaeonis Hesiodi explicationem de Posideone, quae Lenaeorum festo potissimum nitebatur, ad infelicissimam istam opinionem de Hermaeo (Anthesterione) nescio quo pacto transtulit. Talia autem perspicere non poterunt, nisi qui in libris scholiastarum cum cura legendis dies noctesque volutati sint; caeteri enim existimare debent, Lenaea Atheniensium hic in Hermaeo sive Anthesterione reponi, καὶ ὃν (intell. τὸν Ἑρμαιοῦ) καὶ τὰ Ἀθήναια παρ' Ἀθηναίους. Neque dubium est, quin Proculus quidem dicere hoc ipsum voluerit. Cujus opinionem vel per se claram et perspicuam magis etiam illustrat Hesychius, Ἀθηναίων μῆν: οὐδένα τῶν μηνῶν Βοιωτοὶ οὕτω καλοῦσιν· εἰκάζει δὲ ὁ Πλούταρχος Βουκάτιον, καὶ γὰρ ψυχρὸς ἐστίν· ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαιοῦ, ὃς μετὰ τὸν Βουκάτιον ἐστίν· καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν. Vides, Lenaea Atheniensium etiam ab Hesychio ad Hermaeum i. e. Anthesterionem revocari. Quocirca Seldenus, Ruhnkenius, totque alii, quum nihil de communi fraude Proculi Hesychiique suspicati essent, his locis non sine maxima veri specie, falso tamen usu



sunt ad Lenaea Anthesterioni mensi vindicanda. Aliter visum est Boeckhio, summo viro, quem semper fecimus permagni et faciemus. Hic enim fieri potuisse dicit, ut si modo Boeotii singulari ratione menses intercalare consuessent, Hermaeus saepenumero etiam in Gamelionem incideret, quam rem adeo tabula ob oculos proposita illustrare studet; quare etsi Lenaeon revera sit Gamelion, tamen eorum rationem, qui cum Hermaeo Lenaeonem compararint, egregie defensam videri. At vero primum de vulgari agitur anni dividendi ratione, in qua si Bucatius et Gamelion ad se invicem referuntur, fieri profecto non potest, quin Hermaeus, qui proxime Bucatium insequabatur, non ipse quoque ad eundem Gamelionem, sed nimirum ad Anthesterionem referatur. Quocirca ne centum quidem tabulae ingeniose fictae eo valebunt, ut perspicue falli eum negemus, qui et Bucatium et Hermaeum, menses diversos cum uno eodemque mense, Gamelione comparaverit; neque enim duo menses similes paresve uni esse possunt, id quod repugnat. Deinde etiamsi Hermaeus saepe in Gamelionem incidisset, ut non minus, quam Bucatius cum Gamelione comparari posse videretur, id quod Boeckhio excogitavit, tamen ista mensium confusio a Proculi loco alienissima est. Nam Boeckhio quidem auctore unam eandemque habebimus explicationem et eorum, qui Bucatium conferunt et qui Hermaeum: ambo enim menses congruere Gamelioni dicentur. At enimvero Proculus duas interpretationes adfert longe diversas, ὑποπτέει δὲ ἢ τὸν Βουκάτιον αὐτὸν λέγειν, ὅς ἐστιν ἡλίου τὸν αἰγόμερων διόντος (hic quidem Bucatius cum Gamelione confertur) — ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς ἐστι μετὰ τὸν Βουκάτιον, καὶ εἰς ταῦτόν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι (in hac altera explicatione Hermaeus et Bucatio ordine postponitur, et tamen prorsus ut Bucatius cum Gamelione confertur, quod ferri tolerarique non potest). Neque unam explanationem, sed duas etiam Hesychius prodidit, de Bucatio alteram, alteram de Hermaeo. Porro scribit Boeckhio p. 56. 57. Lenaea a Proculo in Gamelione collocari; verba enim καὶ ὃν necessario ad illud τῷ Γαμηλιῶνι pertinere, quae etiamsi ad Hermaeum traxeris, Hermaeum tamen et ipsum hic cum Gamelione



comparari. Haec attulisse est refutasse. Nemo est enim, quin intelligat, καὶ ὃν minime ad Gamelionem pertinere, quoniam verba καὶ εἰς ταῦ-
τὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι leviter tantum in medio interponuntur,
sed necessario spectare ad τὸν Ἑρμαῖον, qui jam accuratissime descri-
bendus est. Ergo quum illud καὶ ὃν καὶ τὰ Ἀθήναια παρ' Ἀθηναίους
sine dubio ad Hermaeum referri debeat, tantum abest, ut inepta ista
Hermaei comparatio cum Gamelione ullam vim habere queat, ut Pro-
culo ipso teste vicerim, Hermaeum haudquaquam Gamelioni, sed Anthes-
terioni respondisse atque Lenaea, si Hermaeo acta essent, Anthesterioni
tribui debere. Jam in proximis verbis Proculi, Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ'
ἄλλως, ἀλλὰ Ἀθηναῖονα καλοῦσιν Boeckhius τοῦτον iterum ad Ga-
melionem trahit, scilicet ut Jonum Lenaeon in Gamelionem convenisse
videretur. Quasi vero Gamelion, ac non potius Boeotorum Hermaeus
describi censendus sit. Quis enim non videt, Subjectum Hermaei in toto
loco continuari, ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς (intell. ὁ Ἑρμαῖος) ἐστὶ μετὰ τὸν
Βουκάτιον, καὶ εἰς ταῦτὸν ἐρχόμενος (intell. ὁ Ἑρμαῖος) τῷ Γαμη-
λιῶνι, καὶ ὃν (intell. τὸν Ἑρμαῖον) καὶ τὰ Ἀθήναια παρ' Ἀθηναί-
ους. Ἴωνες δὲ τοῦτον (intell. τὸν Ἑρμαῖον) οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ἀθ-
ηναῖονα καλοῦσιν. Transit Boeckhius ad Hesychii glossam, Ἀθηναίων
μῆν: — Ἴνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς μετὰ τὸν Βουκάτιόν ἐστιν· καὶ γὰρ
Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν. Quae ut plana
et dilucida fiat, Hermaeum dicit cum Proculo pro Gamelione habendum
esse, quam rem temere omisisse Hesychium. Itaque non satis habet
Boeckhius, infelicia verba καὶ εἰς ταῦτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι,
quae sive a Proculo inepte posita sunt, sive a librariolis male transposita,
quin quidem falsa, vana et genere toto perversa sint, ne dubitari qui-
dem potest, apud Proculum ipsum defendere eorumque ope novam de
Lenaeis condere doctrinam, nisi easdem nugae etiam in Hesychium nihil
tale quidquam dicentem transfuderit. Adhuc nihil omnino dixit vir
egregius, quantum ego existimare possum, qui neque ionicum Lenaeum
cum Gamelione consentire demonstraverit, neque ullius testis auctoritate
Lenaea Gamelioni dono dare potuerit. Unus enim Plutarchus falso ille



quidem suspicatur et conjicit, Lenaeonem Hesiodi forsitan Bucatium intelligi posse. Ceterum ne Plutarchus quidem tum de Lenaeis Atheniensium punctum temporis cogitabat, verum hoc agebat solum, ut Hesiodeum mensem ad Boeotorum fastos redigeret. Paulo levius autem vir eximius alios Hesiodi interpretes scholiastasque attigit. Ac primum verba, *Μῆνα δὲ Ἀθηναίων: ὄνομα μηνὸς κατὰ τοὺς Βοιωτοὺς* non reprehendere debebat, sed, ut supra dicere memini, vitium istuc emendare. Adponit deinceps illa *Ἀθηναίων δὲ εἴρηται — οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ χειμῶνός ἐστιν* — hiememque a Gamelione initium fecisse contendit. At prima hiems ab omnibus in Posideone, a nullo autem in Gamelione demum reponitur. Jam quod Tzetzes atque Etymologus Lenaeonem cum Aegyptiorum mense Choiak composuerunt, eo item causam suam adjuvari Boeckhii existimat; Choiak enim mensem a d. XXVII m. Novembris usque ad d. XXVI m. Decembris pertingere, Gamelionem autem Decembri partim, partim Januario contineri. In quo non animadvertit, Choiak Aegyptium praecedere, Gamelionem mense integro subsequi, ita ut Choiak mensis sine dubio cum Posideone concordare debeat. Denique quod Etymologus ita loquitur de Lenaeone, *οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ μηνῶν ἐστίν*, id cum Gamelione Boeckhii copulandum putavit, idcirco quod Boeotorum annus a Bucatio, qui Atheniensium Gamelion est, initium capiebat. Nos autem supra docuimus, corrupta esse verba Etymologi, atque ex aliis grammaticis, a quibus eadem res ad verbum traditur, *οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ χειμῶνός ἐστιν* haud dubie rescribi debere. Plane vellemus, non modo graecos Hesiodi interpretes aliquanto diligentius a Boeckhio consultos esse, verum etiam ipsum illum Hesiodi versum, *Μῆνα δὲ Ἀθηναίων, κατ' ἡμέρας, βοῦδόρα πάντα* quam fieri doctissime potest, ab eo explanatum; quem versum Boeckhii ne primoribus quidem labris ullo gustavit loco. Sexcenties enim grammatici graeci scholiastaeque ad unum omnes scriptoris sui mentem atque sententiam, non illam extrinsecus, sed ab ipso repetendam nullo pacto adsequuti sunt. At forsitan alia quaedam argumenta a Boeckhio proferentur, quibus ad summam rei novae, quam molitur, si non multum, at nonnihil tamen profectum sit.



Ille vero quum quasi ad aram, sic ad illam grammaticorum glossam s. v. *Διονύσια* confugisset, primum Lexici Rhetorici memoriam redintegravit, *Διονύσια*: ἑορτὴ Ἀθήνησι Διονύσου. ἤγετο δὲ τὰ μὲν κατ' ἀγροῦς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ Ἀθήναια Γαμηλιῶνος, τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος., eamque scripturam laudibus extulit; deinde vero Hesychii atque Schol. Aeschin. lectionem addidit, — τὰ δὲ Ἀθήναια μηνὸς Ἀθηναίων — et hanc quoque magna laude prosequutus est, quippe quum Lenaeonem ipsum esse Gamelionem constare debeat. At principio de tot tantisque criticis unus prope Boeckhius hanc glossam incorruptam mansisse existimat; caeteri enim tametsi variis atque diversis emendationibus utuntur, tamen de ipso quidem vitio adhuc vix ququam dubitavit. Deinde jam supra demonstratum est, Lenaeoni nihil unquam cum Gamelione attico rationis fuisse, sed illum Athenis cum Posideone, apud Jones autem cum Anthesterione in unum convenisse. Quare si maxime probari posset vitiosa ista lectio, τὰ μὲν κατ' ἀγροῦς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ Ἀθήναια μηνὸς Ἀθηναίων, recte hic quidem ei, qui sunt a Ruhnkenio, ionicum Lenaeum sive Anthesterionem mente comprehenderent, nisi ineptum videretur hoc ipsum, festis atticis mensem inseri ionicum. Ita vero unica relinquitur, qua Boeckhius confidat, Lexicographi interpolatio, τὰ δὲ Ἀθήναια Γαμηλιῶνος. Cujus quidem fide si festa Atheniensium constituere placet, aliquando existet, sat scio, qui ad Maemacterionem adeo Lenaea transferat propter scholiastam Platonium, τὰ δὲ Ἀθήναια μηνὸς Μαιμακτηριῶνος. Sed quam nihili facienda sit lectio ista *Γαμηλιῶνος*, vel ex eo intelligitur, quod sine dubio *Γαμηλαιῶνος* habet ipse codex, in quo antiquior scriptura *Ἀθηναίων* satis clare pellucet. Itaque homo interpolator quum Lenaeone haud immerito offensus esset, suo periculo prave substituit *Γαμηλιῶνος*, neque tamen fraudem suam non ipse sanequam inscite prodidit. Omnino autem certissimum est, Lexicographum in vetusto auctore non *Γαμηλιῶνος*, sed *Ἀθηναίων* invenisse; ille enim Hesychii, ducis sui glossas audacter solet interpolare: atqui apud Hesychium clare exstat *Ἀθηναίων*. Quum igitur et *Γαμηλαιῶνος* ad Lenaeonem nos perducatur, et Lenaeonem duo



alii grammatici haud dubie hoc loco commemorant, in hisque adeo sit Hesychius, quem ipsum descripsit Lexici conditor variisque modis interpolavit: apertissime sequitur, interpolationem *Γαμηλιῶνος* nihil quidquam habere fidei atque pro nihilo ducendam esse. Quae quum ita sint, falso Boeckhius multum tribuit scripturae *Γαμηλιῶνος*, quae jam olim a Ruhnkenio ³⁹⁾ verissime contenta est. Verum enim ut in causa paene desperata ad notissimas omnium rerum, falsarum quoque patronas, ad Inscriptiones rejicimur. Ac primum Boeckhius lapide utitur Dawkinsiano, quem olim e vitiosissimo Chishulli apographo edidit Corsinus, accuratissime vero descripsit Chandlerus, quem Boeckhius in egregio opere *Corporis Inscriptt. Vol. I. Fasc. II. p. 481 sqq.* jure sequutus est. Hoc lapide tabulae minorum quorundam sacrificiorum a rusticis ut videtur stato die offerendorum continentur. Ego eum locum, qui ad causam nostram adtinet, minusculis infra posui,

Ποσιδεῶνος ἡ ἰσταμένου πόπανον

χοινικιαῖον δωδεκόνφαλον καθήμε..

Ποσιδῶνι χαμαιζήλω νηφάλιον Δ.

Ἄνεμοις πόπανον χοινικιαῖον ὀρθόν

20 φαλον δωδεκόνφαλον νηφάλιον

Γαμηλιῶνος κιττώσεις Διονύσου Θι

Ἄνθεστηριῶνος ἱερεῖς ἐκ λουτρῶν.

et sic porro. Recte haec distinxit atque interductibus clara reddidit Boeckhius p. 482. Nunc lineae 21, de qua omnis quaestio est, veram

³⁹⁾ Ruhnkenii verba in Auctario ad Hesychium infra posui: „Hesychius eorum (Lenaeorum) celebrationem in Lenaeone ponit, Lex. Rhet. MS. in Gamelione. *Lenaeonis* nomen postquam semel ad Jones transiit, et *Anthesterioni* locum fecit, rarius in Atticorum monumentis reperitur. Nec memini, me illud alibi, praeterquam apud Aristidem T. I. p. 280. legisse. Hesychius vero Lenaeorum tempus signans, magis consentaneum existimavit, Lenaeonem, qui a Lenaeis nomen invenisset, quam Anthesterionem, appellare. *Ac nescio, an haec nominis insolentia librarium Lexici Rhet. MS. moverit, ut μηνὸς Ἀθηναίωνος mutaret in Γαμηλαιώνος, vel Γαμηλιώνος. Sed undecunque haec lectio manavit, falsa est, et repudianda.*“

aut certe probabilem scripturam eruamus. Sic est igitur apud Corsinum,
 Γαμηλιῶνος κίττος εἰς διονύσου Δυ, apud Chandlerum vero sic,
 ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ ΚΙΤΤΩΣ ΕΙΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥΣ ΔΙ. Hinc Boeckhius De
 Lenaeis p. 62. et in Corpore Inscriptt. l. l. reponi jubet, Γαμηλιῶνος
 κίττώσεις Διονύσου Δί, Gamelione coronas hederaceas (Ephcubefrän-
 zungen) Bacchi die XIX. Ac posteriore in loco scribit vir praeclarus
 „Gamelionis XIX. fiunt κίττώσεις Διονύσου (male Cors. Κίττος εἰς Διο-
 νύσου Διάσου, pejus etiam Chandl.), quas cum Lenaeis conjunctas esse
 monui in Comm. de Dionysiis c. 4. et probat Muellerus (Prolegg.
 Mythol.) —.“ At enim verbum κίττωσι omnino nusquam inventum est.
 Quare potius scribendum videtur, Γαμηλιῶνος κίττον εἰς Διονύσου Δί.
 Quod ipsum paene vidit Boeckhius loco priore (eher könnte man, inquit,
 noch lesen: κίττος εἰς Διονύσου, nämlich ἱερόν); sed ferri non potest κί-
 ττος nominativus, quum in tota Inscriptione illa accusativi legantur. In
 hac itaque Inscriptione quantumvis recenti Boeckhius Gamelione mense
 Dionysiorum quoddam vestigium deprehendisse sibi videtur. Namque
 coronas hederaceas, quibus Bacchus ornatur, cum Lenaeis conjungi de-
 bere. Verum enim vero in toto isto lapide pusilla admodum sacrificia
 in minutis quibusdam sacris offerenda memorantur. Atque, ut hoc mit-
 tam, nihil aliud docemur, quam Gamelionis d. XIX. hederam in tem-
 plum Bacchi adferendam esse. Jam quis nescit, hederam et plane Bac-
 cho sacram fuisse, et cum paucis aliis herbis floribusve vel per mediam
 hiemem virere? Ergo quidnam tandem habet admirationis, per bru-
 mam, ubi flores fere nulli sunt, hedera viret, hac ipsa hedera, quae
 Bacchi scilicet fuit, statuas Bacchi coronatas esse? Aut quis ex eo colli-
 gere audeat, bruma magnum Dionysi festum, quale Lenaea fuerunt, agi-
 tatum esse? Quum praesertim in hac Inscriptione de magnis quidem
 festis paene silentium sit, parvaque sacra nominentur, minuta sane-
 quam sacrificia, dei etiam vel minimi, quales Nephthys et Osiris,
 Jupiter Γεωργός, Neptunus Χαμαιζηλος, Venti, Saturnus, Her-
 cules et ejus Δεῖος, alii ordinis ejusdem? Quamobrem valeat lapis
 Dawkinsianus; nihil enim ille quidem ad Lenaea, sive ut graece



dicamus, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, certe οὐδὲν πρὸς Διονύσια. Pauciora verba alia desiderat Inscriptio, quam ex unis schedis Fourmonti hic illic manifesto depravatam Boeckhius edidit in Corp. Inscriptt. Vol. I. Fasc. I. p. 250 sqq. In hac summae argenti coriarii (τοῦ δερματικοῦ, des Hautgeldes) in varia Atticorum festa impensi continentur. Et linea quidem undecima sic habet lapis, ..ΔΙΟΝΥΣΙΩΝΤΩΝ.... ΗΝΑΙΩ. Recte sane Boeckhius emendat, Ἐκ Διονυσίων τῶν ἐπὶ Ἀθηναίων. At septima linea, quae ad eundem annum pertinere debet, lapis haec tantum continere dicitur,

..... ΔΥΕΙΩΝΤΩΝ ΡΑ
.... ΩΝ:


Ergo igitur Boeckhius, ut Lenaea a rusticis Dionysiis discerni videantur, ocius corrigit, Ἐκ Διονυσίων τῶν κατ' ἀγρούς παρὰ βοωνῶν: —. Quae conjectura improbari ab omnibus deberet, etiamsi haec duo festa, non unum idemque fuissent. Nam ut audaciorem paullo mutationem Ἐκ Διονυσίων — feramus, lapis Boeckhio ipso fatente non tantum habet vacui spatii, quanto ad verba κατ' ἀγρούς vel adeo κατὰ ἀγρούς necessario opus est. Praeterea vel ipse Boeckhius intellexit, e festo demorum, in quo reipublicae partes nullae essent, ne δερματικὸν quidem ullum redundare ad Rempublicam potuisse. Ceterum hanc difficultatem ita removere studet, ut rustica Dionysia hic de Piraeensibus accipienda esse dicat. In quo fugit eum, isto quidem pacto haud dubie scribendum fuisse, Ἐκ Διονυσίων τῶν ἐν Πειραιεῖ —. Quin fac tu, ita prorsus legendum esse; tum nihil hic lapis Boeckhio proderit, quando etiam in Eucgori lege Piraeensia Dionysia cum Lenaeis copulata sunt. Certissimum est igitur, interpolationem Boeckhii Ἐκ Διονυσίων τῶν κατ' ἀγρούς — ferri nullo modo posse. Quod nisi in ejusmodi loco, quem Fourmontus haud dubie falso descripserit, conjecturis abstinere praestaret, Ἐκ Θαλυσίων τῶν Δήμητρος multaque alia in opinionem possent venire. Ita vero adparet, ne hac quidem Inscriptioe quidquam a Boeckhio demonstratum esse. ⁴⁰⁾ Atque haec sunt illa aureola argumenta, quibus

⁴⁰⁾ Boeckhius De Lenaeis p. 82. „Der entgegengesetzten Annahme, wonach die Lenäen als ländliche Dionysien in den Poseideon fallen, ist unsere Inschrift eben so un-



Boeckhius rem ante illum diem plane inauditam efficere conatur, Lenaea festum quoddam peculiare Atheniensium fuisse; de quo ne somniavit quidem ante Boeckhium quisquam, quum milleni philologi de Lenaeis cogitassent, centeni autem in his summi quique viri etiam opera dedita commentarios de eis scripsissent. Quid, quod Boeckhius ipse causae suae infirmitatem sensit obscure, vel quia justum rerum ordinem saepe turbavit (quam rem excusat ipse p. 50), vel quia Scaligeri rationes parum feliciter elevare studuit. Ut enim Apollodorum Stephanumque Byzantium praetereamus, magnam profecto injuriam Boeckhius p. 66 sqq. Scholiastis intulit Aristophanis, quos supra diximus, hoc est vetustissimis doctissimisque grammaticis; quorum sententiam non refellere ullo modo potuit, sed tantummodo eos sibi placere suique saporis esse negavit. Quodsi conjecturis standum esset in re certa et explorata cognita, nimirum ea opinio, qua ego olim tenebar, ad veritatem esset propensior. Putabam, Lenaea primis temporibus cum Anthesteriis Atheniensium convenisse, deinceps autem non casu aut fortuito, sed necessario plane, ut fastis valde turbatis, ex Anthesterione in Posideonem coepta esse transferri. Quorum alterum ne negare quidem licet propter testes valde locupletes, Lenaea cum minoribus Dionysiis longo tempore copulata esse; alterum vero de Anthesteriis certe commendari varie exornarique potest. Namque et hoc certum est, Lenaeonem ionicum Anthesterioni respondisse, et Proculus atque Hesychius Lenaea in Anthesterione male illi quidem reponunt, reponunt tamen, et Theodorus Gaza, egregius scriptor, Anthesterionem exeunti tribuit auctumno, quam opinionem ad tempora antiquissima referebam, et fasti Attici antiquitus saepe confusi permistisque sunt, (nam propter id ipsum trieteridem octaeteris, hanc enneadecaeteris Metonis expulit), et Lenaea vel natura sua alio

günstig als das Gesetz des *Euegoros*, weil von der Feier der ländlichen Dionysien bis zu den kleinen Eleusinien der Zeitraum zu groß ist, als daß die Opfervorsteher für beide Feste eine Rechnung hätten eingeben können." Non respondendum est ad omnia, minimeque ad tales argutias. Imo lubenter ea me ignorare patiar, quae hodie sciri ab nullo possunt.



tempore nullo, nisi vindemiae vel paullo post vindemiam agi potuerunt. Sed nolo eam conjecturam vel laudare, vel defendere ullo modo videri, quam in errore versari intelligo ipse et prae me fero. Boeckhio autem, quem laudare, colere, suspicere, postremo amare soleo, certe nunquam ausus essem tam ferociter repugnare, nisi vehementer mihi persuasissem, tantum virum hic quidem a vero aberrasse. Ego quantum Boeckhio tribuere soleam, quanta etiam adsiduitate praeclaros hujus viri libros versaverim, ostendam alio loco; hic illud dicam, de quo inter omnes conveniat necesse est, secundum Hermannum et Lobeckium primas Boeckhio deferendas esse, neque qui antiquitatis scientia cum Boeckhio comparari queat, alium praeterea ullum inveniri. Ἐγὼ δὲ χθονὶ γυνῖα καλύψαιμ' αἰνέων αἰνητά.

Sed jam satis Lenaea me exercitum habuerunt et vellem aliquando finem. Ceterum revoco me ipse atque in mentem mihi redigo, quae scripsi alio loco his maxime verbis. *Tum viri egregii ex Anthesteriis Dionysiisque rusticis paucos quasi flosculos minutatim delibant, errore, ut mihi videtur, vel maximo. Quomodo enim explorare poterunt, quid velint Lenaea quove referenda sint, nisi omnia, quae de his Dionysiis, maximeque de miro illo Anthesteriorum festo ubique traduntur, diligenter lectitarint? de quibus multa nos quidem accepimus, veruntamen aliquanto, quam vellem, pauciora.* (Continuabitur.)


Addendum ad pag. 54. adnot.

Negavi, Sophoclem in ultima senectute ab Jophonte filio dementiae accusatum esse, neque unquam de hac sententia discessero. Etenim Jophon, nisi forte tum temporis ipse desipiebat, argumenta tam gravis sententiae de patre suo publice dictae adterre debebat. Ergo quidnam tandem ille poterat causari? Primum Sophoclem a dementiae suspitione vel sua natura vindicare licet, qui vir quanta fuerit animi aequitate, moderatione, constantia, adde etiam prudentia, tota ipsius declarat poësis. A tali autem indole longe abhorret opinio insaniae, in quam vehementes impotentesque viri multo facilius incidunt. At forsitan senex decrepitu aetateque confectus coepit delirare? Verum haec conjectura facile refutatur a teste vel maxime idoneo, Phrynicho Comico, qui in Musis suis satis ille quidem frigide, vere tamen ingenueque scripsit: Μάναρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βίου | ἀπέθανεν, εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δεξιός. | πολλὰς δὲ ποιήσας καὶ καλὰς τραγωδίας, | καλῶς ἐτελεύτησ', οὐδὲν ὑπομείνας κακόν. Quod fragmentum legitur in argumentis ad Oedipum Coloneum. Huc accedit, quod Sophocles jam senex adeoque morti proximus Jophontem ipsum in tragoediis scribendis adjuvare putabatur (Aristoph. Ran. v. 78. 79).

Geprüft
Kein Beurteilungen
Klassieren
für Süddeutschland und Böhmen
7. Dez. 1940
Ort, Datum
Unterschrift

2 - April 1959

12 Dez. 1962





dicamus, οὐδὲν πρὸς Διονύσον, c... πρὸς Διονύσια. Pauciora
 verba alia desiderat Inscriptio, qui... schedis Fourmonti hic illic
 manifesto depravatam Boeckhius e... p. Inscriptt. Vol. I. Fasc. I.
 p. 250 sqq. In hac summae arge... τοῦ δερματικοῦ, des Haut-
 geldes) in varia Atticorum festa i... inentur. Et linea quidem
 undecima sic habet lapis, .. ΔΙΟΝΥ... HNAIO. Recte sane
 Boeckhius emendat, Ἐκ Διονυσίων... ἠγναίω. At septima linea,
 quae ad eundem annum pertinere de... ec tantum continere dicitur,

..... ΑΥΕΙΩΝΤ
 ΩΝ:

Ergo igitur Boeckhius, ut Lenaea... ionysiis discerni videantur,
 ocus corrigit, Ἐκ Διονυσίων τ... ροὺς παρὰ βοωνῶν: —
 Quae conjectura improbari ab om... t, etiamsi haec duo festa,
 non unum idemque fuissent. Na... iorem paullo mutationem
 Ἐκ Διονυσίων — feramus, lapis... o fatente non tantum ha-
 bet vacui spatii, quanto ad verba... s vel adeo κατὰ ἀγροὺς
 necessario opus est. Praeterea vel... ius intellexit, e festo de-
 morum, in quo reipublicae partes... nt, ne δερματικὸν quidem
 ullum redundare ad Rempubicam... eterum hanc difficultatem
 ita remove studet, ut rustica Di... e Piraeensibus accipienda
 esse dicat. In quo fugit eum, isto... to haud dubie scribendum
 fuisse, Ἐκ Διονυσίων τῶν ἐν Πε... Quin fac tu, ita prorsus
 legendum esse; tum nihil hic lapis... roderit, quando etiam in
 Euegori lege Piraeensia Dionysia... copulata sunt. Certissi-
 mum est igitur, interpolationem Boec... νυσίων τῶν κατ' ἀγροὺς
 — ferri nullo modo posse. Quod... odi loco, quem Fourmon-
 tus haud dubie falso descriperit, ... abstinere praestaret, Ἐκ
 Θαλυσίων τῶν Δήμητρος multaqu... opinionem possent venire.
 Ita vero adparet, ne hac quidem I... uidquam a Boeckhio de-
 monstratum esse. 40) Atque haec... reola argumenta, quibus

40) Boeckhius De Lenacis p. 82. „Der... Annahme, wonach die Lenäen
 als ländliche Dionysien in den Posei... unsere Inschrift eben so un-

